Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sine flexu. i. sine deviatione. et recte sine retrogradatione. Hoc itaque rote significant. et non solum hoc. sed est. i. continget vel conveniet. per aliam anagogen. i. spiritualem interpretationem diiudicare imaginariam descriptionem. intellectualium rotarum. Vocitatum est enim eis. scilicet angelis ut ait theologus. i. propheta. gelgel. gelgel. Dicit enim ezechiel. quia apparentibus et currentibus rotis. audiente ipso. eas angelus volubiles appellavit. In hoc ergo vocitatum est et clamatum gelgel. sive eis. sive ab eis.

Significat autem hoc idem gelgel iuxta hebraycam linguam. revelationes et revolutiones. Utriusque interpretationis causam subiungit. Igneae siquidem et deiformes rote revolutiones quidem habent circa idipsum optimum. conmotum semper mobili. Quemadmodum circulus propterea in semet ipsum revolvitur. quia circa unum et idem ipsum. i. centrum semper movetur. sic spiritales rote. quasi in semet ipsas revolvuntur. dum circa idipsum quod est optimum. i. deum quasi circa centrum suum contemplatione semper ipsum ambiendo moventur. Et ideo semper mobili motu moventur. quia et desiderium est inextinguibile. et quod desideratur incomprehensibile.

Propter hec omnia. spiritales rote revolutiones habent. Revolutiones vero habent in manifestatione secretorum. et in circumductione subiectorum. quia ad subiectos quidem descendunt eos illuminando. sed iterum redeunt ipsos per contemplationem ad superna reducendo. et sic revelationes habent in deductiva perfectione altarum illuminationum. in ea que subiecta sunt. quia illuminationes quas ab alto suscipiunt. ad perfectionem subiectorum deducunt. per quas eadem subiecta sursum ad superiora reducunt. Sequitur. Reliquus nobis. et cetera. Post explanationem figurarum et descriptionum materialium. rursum ad interiora conversus. gaudia angelorum in novissimo contemplatur. Et bene sermo de celestibus gaudiis terminatur. quia celestium omnium gaudium finis est. Reliquus nobis est in explanatione sermo. de gau